1.1

BIBLIOTECA NAZIONALE
ROMA
VITTORIO EMANUELE

L'ADVOCAT FRANÇOIS,

CORRUPTEUR DES SAINTS PERES,

En defendant ſon Miſerable Client

GILLE DE WITTE.

Digitized by Google

Digitized by Google

L'ADVOCAT FRANCOIS,

CORRUPTEUR DES SAINTS PERES

Avec ſon miſerable Client

GILLE DE WITTE,

Produit en Theatre par le Profeſſeur DU BOIS, pardevant Monſieur MARTIN STEYAERTS Docteur &c.

Eximie Domine,

REcens Galli cantus (quem vocat juſtificationem) in Petrum, Petri primatum & Cathedram, conantis te (ſed fruſtra) à veritate tuenda deterrere, me gravibus negotiis Eccleſiæ iſtius Principis Apoſtolorum Lovanii, obrutum, ac ideò ceſſantem à ſcriptione, nec non penè torpentem, excitavit. Et meritò. Nam grandem Muſicam redolet & concentum plurium modulantium, non longè à Lovanio noſtro accitorum: refertum (ut ſimilium ferunt mores) calumniis & impoſturis. Imitantur hi falſarum mercium, & falſæ monetæ Cuſores: qui quod per ſe non audent diſtribuere, nè innoteſcant; per tertiam, quartamque manum faciunt.

Latentem intrinſecus dolorem, & invidiæ ignem extinguere Chriſtiana charitate & patientia debita nequeunt, niſi prius, ſi poſſent, me aduſſerint, & venenatæ linguæ jaculis confoderint. Bene faciunt, & generosè. Si enim libellus aliquis aut actio famoſa prodiret, quo vel qua non impeterer; poſſem meritò petere manutenentiam in iſtius juris paſſivi poſſeſſione; quæ non tantum annalis eſt, ſed tam diutina, quæ ſufficiat ad pleniſſimam præſcriptionem.

Verum cachinno excipiendi homines hujuſmodi, qui propriis jaculis ſeipſos transfodiunt, me non tangunt: decretum eſt enim in *Lege unica Codice de Famoſis Libellis, quod alterius opinionem non lædant* Libelli famoſi.

Longè aliter edictum eſt adverſus ejuſmodi libellorum authores, detentores, diſperſores, *Quiſquis* (inquit Canon. 2. Cauſa 5. quæſtione 1.) *veraciter loquitur, ſemetipſum innoteſcere non debet formidare: oportet ut publicè exeat, & quæcumq; in ſua conteſtatione loqui præſumpſit, oſtendat. Quod ſi non exierit, neq; publicè confeſſus fuerit, quiſquis ille ſit, qui hoc agere præſumpſit vel conſenſum in tanta*

ini-

iniquitatis conſilio præbuit; ex Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti Spiritu definimus, ut Sancti ejus Corporis ac ſanguinis participatione privatus ſit.

Et in dicta lege unica, *Si quis Famoſum libellum, ſive Domi, ſive in publico, vel quocumq; loco ignatus repererit: aut corrumpat prius quam alter inveniat, aut nulli confiteatur inventum. Si verò non ſtatim eaſdem cartulas vel corruperit, vel igne conſumpſerit, ſed vim earum manifeſtaverit: ſciat ſe quaſi authorem hujuſmodi delicti Capitali ſententia ſubjugandum.*

Sed forſan Viri iſti, velut Athlantes, ſe Eccleſiam ejuſque bonum publicum, humeris ſuis ſuſtentare debere confidunt. Verum audiant eandem Legem. *Sanè ſi quis devotionis ſuæ ac ſalutis publicæ cuſtodiam gerit: nomen ſuum profiteatur, & quæ per famoſum libellum perſequenda putaverit, ore proprio edicat.* An facturi ſint tempus docebit. Interim ego Calumniam in me expreſſam in pagina 41. *defenſionis* refellam, non ſimplici Negatione (quod ſufficeret juxta Leges & Canones, *l. 4. Cod. de edendo l. 8. Cod. de probat. l. 2. ff. eodem, cap. 1. ii de fide inſtrumentorum*) ſed Manifeſtatione contrarii, pugnaturus intrepidè pro Petri primatu & Cathedra, pro Patribus adverſus hæreticos & illis adſtipulantes, nominatim Ægidium Candidum noſtri Galli Clientulum Clientiſſimum, & Ægidii Magiſtrum Rigaltium, donec, quod jactitant decretum, in forma authentica mihi communicaverint legitimè. Incipio igitur. Fidei inſignem profeſſionem facturus Candidus, ſed minimè candidam, ſic ait:

"Subſcribo glorioſo Martyri Cypriano, de unitate Eccleſiæ Catholicæ, ,, juxta emendatam Rigaltii è vetuſtiſſimis Exemplaribus lectionem: Loquitur, ait, Dominus ad Petrum. Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, & ,, ſuper iſtam petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non ,, vincent eam; tibi dabo claves Regni Cœlorum, & quæ ligaveris ſuper ,, Terram, erunt ligata & in Cœlis; & quæcumque ſolveris ſuper Terram, ,, erunt ſoluta & in Cœlis. Super unum ædificavit Eccleſiam, & quamvis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem ,, (intelligo, Apoſtolatus) tribuat, & dicat: Sicut miſit me Pater, & ego ,, mitto vos, Accipite Spiritum ſanctum, ſi cujus remiſeritis peccata remittentur illi, ſi cujus tenueritis, tenebuntur: Tamen ut unitatem manifeſtaret unitatis ejuſdem originem ob uno incipientem ſua authoritate diſpoſuit; Hoc erant utique cæteri Apoſtoli, quod erat Petrus, pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis: Sed exordium ab unitate proficiſcitur, ut Eccleſia Chriſti una monſtretur. Quam unam Eccleſiam etiam in Cantico ,, Canticorum Spiritus ſanctus ex perſona Domini deſignat, & dicit: Una eſt ,, columba mea, perfecta mea, una eſt matri ſuæ, electa genetrici ſuæ. ,, Hanc Eccleſiæ unitatem qui non tenet, tenere ſe fidem credit? Qui Eccleſiæ renititur, & reſiſtit, in Eccleſia ſe eſſe contendit? Quandò & Beatus ,, Apoſtolus Paulus hoc doceat, & ſacramentum unitatis oſtendat, dicens: ,, Unum Corpus, & unus Spiritus".

Hactenus Candidus: qui non Cypriano, ſed Richariſtæ Rigaltio, Hæreticorum Patrono ipſiſque hæreticis ſubſcribit, turpiter Cypriani textum corrum-

Digitized by Google

rumpendo. Hoc ut tibi appareat, Eximie Domine, ipſum integrum produco, & quæ malè detruncavit poſt Rigaltium Candidus, alio charactere exprimo. Sic itaque communiter legitur, & legi agnoſcit Rigaltius in ipſo Cypriani contextu:

" *Qui* (Diabolus) *ſecundùm Apoſtoli vocem transfigurat ſe velut Angelum lucis,*
,, *& miniſtros ſubornat ſuos velut miniſtros juſtitiæ; aſſerentes noctem pro die, interitum*
,, *pro ſalute, deſperationem ſub obtentu ſpei, perfidiam ſub prætextu fidei, Antichriſtum*
,, *ſub vocabulo Chriſti, ut dum veriſimilia mentiuntur, veritatem ſubtilitate fruſtrentur.*
,, *Hoc eo ſit, Fratres Dilectiſſimi, dum ad veritatis originem non reditur, nec Caput quæ-*
,, *ritur, nec Magiſtri Cœleſtis Doctrina ſervatur. Quæ ſi quis conſideret & examinet,*
,, *tractatu longo atque argumentis opus non eſt. Probatio eſt ad fidem facilis compendio*
,, *veritatis.* Loquitur Dominus ad Petrum: Ego tibi dico, inquit, quia tu es
,, Petrus, & ſuper iſtam petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ infero-
,, rum non vincent eam. Et tibi dabo claves Regni Cœlorum, & quæ ligaveris
,, ſuper terram, erunt ligata & in Cœlis, & quæcumque ſolveris ſuper terram
,, erunt ſoluta & in cœlis. *Et iterum eidem poſt reſurrectionem ſuam dicit: Paſce oves*
,, *meas.* Super illum unum ædificat Eccleſiam ſuam, *& illi paſcendas mandat oves*
,, *ſuas.* Et quamvis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem po-
,, teſtatem tribuat & dicat: Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos, accipite
,, Spiritum ſanctum. Si cui remiſeritis peccata, remittentur illi; ſi cui te-
,, nueritis, tenebuntur. Tamen ut unitatem manifeſtaret, *unam Cathedram con-*
,, *ſtituit,* & unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſua authoritate di-
,, ſpoſuit. Hoc erant utique & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari con-
,, ſortio, præditi & honoris & poteſtatis, ſed exordium ab unitate proficiſ-
,, citur. *Primatus Petro datur,* ut *una* Chriſti Eccleſia *& Cathedra una* monſtre-
,, tur. *Et Paſtores ſunt omnes, ſed grex unus oſtenditur, qui ab Apoſtolis omnibus una-*
,, *nimi conſenſione paſcatur.* Quam unam Eccleſiam etiam in Cantico Cantico-
,, rum Spiritus ſanctus ex perſona Domini deſignat & dicit: Una eſt co-
,, lumba mea, perfecta mea, una eſt matri ſuæ, electa genetrici ſuæ. Hanc
,, Eccleſiæ unitatem qui non tenet, tenere ſe fidem credit? Qui Eccleſiæ
,, renititur & reſiſtit, *qui Cathedram Petri, ſuper quam fundata eſt Eccleſia, deſerit;*
,, in Eccleſia ſe eſſe confidit? Quandò & Beatus Apoſtolus Paulus hoc idem
,, doceat, & ſacramentum unitatis oſtendat, dicens: Unum corpus & unus
,, ſpiritus. Vide modò, Eximie Domine, corruptiones.

1. Non erant omittendæ primæ ſententiæ uſque ad illud, *loquitur Dominus ad Petrum:* nec enim ex parte mutilâ, qua uſus eſt Candidus, poterat cognoſci ad cujus rei probationem Scripturæ textus induceret Cyprianus. Sed aſtutè negotiatus eſt Candidus: ſi enim expreſſiſſet, potuiſſet facilius mercium detegi falſitas.

Sed priuſquam cætera qua omiſit diſcutiam, producam alia Cypriani loca quæ ejus conſenſum cum iis, quæ Candidus omiſit, exprimunt manifeſtè. In Epiſtola 55. ſcribit, *Neque aliunde hæreſes ſubortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quam inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur: nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos,*

&

& ad tempus judex vice Chriſti cogitatur. Et paulò poſt, *Petrus, ſuper quem ædificata ab eodem domino fuerat Eccleſia, unus pro omnibus loquitur.* Epiſtola 73. *Petro primum Dominus, ſuper quem ædificavit Eccleſiam, unitatem & originem inſtituit & oſtendit.* Hæc planè conſonant cum iis quæ ex libro de unitate Eccleſiæ abraſerunt.

2. Rigaltius & Candidus tollunt illud, *& iterum eidem poſt reſurrectionem ſuam dicit, paſce oves meas.* Cur tollunt? *Hæc*, inquit Rigaltius in obſervationibus ad dictum librum de unitate Eccleſiæ, *inſititia eſſe ſatis ex eo deprehenditur quod minime conveniunt propoſito.* Cur non? An non egit Cyprianus in primis ſententiis à Candido ſuppreſſis *de doctrina Cœleſtis Magiſtri quærenda.* Et qui illam tradit nonne dicitur *paſcere*, teſte Auguſtino *Epiſtola* 59. *in lib. de Paſtor. Epiſtola* 166. *tract.* 45. *in Joannem &c.* Nonne cum Cyprianus dixerit *quærendam eſſe Magiſtri Cœleſtis Doctrinam*, ad ptopoſitum pertinet docere à quo quærenda ſit, nempe ab illo cui dixit Chriſtus tertio, paſce agnos meos, paſce oves meas.

3. Inſigni præterea errore ſibi contradicit Rigaltius: nam in obſervationibus ſuper Epiſtola 73. Cypriani, ad illa verba Evangelii dicta Petro, *dabo tibi claves Regni Cœlorum*, hanc ponit Gloſſam, *Claves intellige verbum Dei:* gratam profecto hæreticis, traditam à Calvino *lib.* 4. *inſtit. c.* 6. Catholicis autem contrariam (vide D. Th. *in ſuppl. quæſt.* 17. *a.* 1. Auguſtinum *de agone Chriſt. cap.* 31. *contra adverſarium legis lib.* 1. cap. 17.) Ægidio Candido jaculum, quo confodiatur. Si enim *Claves Regni Cælorum* ſint *Verbum Dei*; ergo de Doctrina Cœleſti per Petrum tradenda egit Cyprianus in libro *de unitate Eccleſiæ*, quia in verbis ab ipſomet Candido expreſſis egit de *Clavibus* Regni Cœlorum.

Quartò corrumpunt hanc ſententiam, *ſuper illum unum ædificat Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oves ſuas.* Cur? *Quia*, inquit, Rigaltius, *præpoſitiones iſtæ* illum, *&* illi *argumenta ſunt adulterinæ manus, quæ pro libidine ſua flagitium hic fecit.* Redeant ad Figuras, ut diſcant *illum & illi* non eſſe præpoſitiones ſed ſigna demonſtrativa. Eant ad Rhetoricam, ut diſcant & doceant nos quid in iſta ſententia Cypriani lateat vitii. Eant ad Logicam ut diſcant & doceant nos, quæ ſint & à quibus locis procedant iſta argumenta.

Quintò, omittunt illud, *unam Cathedram conſtituit:* quia *hæc*, inquit Rigaltius, *non leguntur in exemplaribus noſtris.* Crediderim non legi in exemplaribus hæreticorum aut ab hæretico corruptorum, prout corrupit Remboldus. At leguntur in exemplaribus Catholicorum. Sed quæ ſunt exemplaria quæ Rigaltius dicit *ſua? Duo*, inquit, *vetuſtiſſima.* At ubinam exſtant illa? An ſatis eſt Candido quod Rigaltius conſpirans cum hæreticis *in obſervationibus ſuis* hoc aſſerat?

Sexto, riſu ſcenico dignæ ſunt rationes, propter quas tollunt illud *Primatus Petro datur*, & mutilant quod ſequitur, *ut una Chriſti Eccleſia & Cathedra una monſtretur.* Unde hic tam audax manus? *Malè*, inquit Rigaltius, *meriti ſunt de S. Cypriano, qui Sanctiſſimum Epiſcopum faciunt authorem iſtius paralogiſmi* (hoc eſt vitioſæ ratiocinationis) *ut ſupra demonſtravimus.* Audi, Eximie Domine, demonſtrationis partem primam. *Etenim*, inquit, *neque hic neque inſequentibus, de primatu aut principatu Petri agitur, ſed de unitate Eccleſiæ.*

Quid

Quid eſt ergo illud quod dixit Cyprianus, *hoc eo fit, dum ad veritatis originem non reditur, nec* Caput *quæritur*. Quid eſt *Caput* in corpore politico (quale eſt Eccleſia) niſi qui in eo eſt Primus & Princeps.

Septimo, altera pars demonſtrationis Rigaltianæ eſt hæc, *Deſtruit unitatem Primatus, nam qui unus eſt, is non primus neque poſtremus, ſed ſolus eſt*: Vah hominem ſine capite! deſtruit ne unitatem humani corporis Caput? Aut ejus in cognitione & directione, *Primatus*, & præeminentia ſupra id quod eſt in cæteris membris? Corpus politicum unum eſt ex ſeparatis membris, ſicuti humanum ex connexis, *Lege* 76. *ff. de Iudiciis*. In regno unus eſt Rex, unum Caput, in Senatu unus Præſes aut Cancellarius. Eſt in illis Primatus, & quidam Principatus: ergò juxta Rigaltium, Regnum non poteſt dici unum, ſi ſit in eo Princeps ſeu Rex, quia unitatem deſtruit Principatus. Senatus non poteſt dici unus, quia unitatem deſtruit Primatus. Non poteſt in Regno eſſe unus Rex; quia ſi ſit unus, non erit primus in eo (juxta Rigaltii & Diſcipuli ejus doctrinam) *nam qui unus eſt, is non primus neque poſtremus ſed ſolus eſt*. Ergo in Regno non poſſunt eſſe plures homines, ſi unus eſt Rex.

Quæ Rigaltii & ejus Diſcipuli Candidi doctrina etſi nulli Doctori Catholico, ſed hæreticis ſit planè conſona, adhuc tamen mala cauſa patronus Gallus, more ſtultæ matris, idololatræ filii, ejulatur Clientiſſimum ſuum Candidum, ſe hæreticorum ſpurcitiis ingerentem, & alios, quantum in ſe eſt, omnimodè conſpurcare conantem, eſſe à ſacræ Facultatis parte majore (uno vel paucis parcentibus) exceptum levi ferula, dignum plagis.

Quia vero jactitat Rigaltius & cum eo Candidus *Duo Vetuſtiſſima exemplaria*, nullibi facilè à nobis reperibilia (quia nequidem indicant veſtigium loci in quo ſint) dabimus ipſis alia ex Pamelio, qui ſuper jam allegatis Cypriani partibus, & citatis pro veritate lectionis pluribus antiquis Codicibus, ita pergit: *Si cui autem conſenſus iſte Codicum vetuſtiſſimorum, quibus uſus eſt Manutius (inter quos unum fuiſſe annorum* 900. *ſcribit in Adnot ſuis in D. Hier. longè Eruditiſſimus Marianus Victorius) cum noſtro Cambronenſi ex media Belgica petito non ſatisfaciat (ut omittam ſupra citatum Cardin. Hoſii Codicem; videat Remundum Rufum contra Molineum, & & Alanum Copum Dial. 1. contra Magdeburgenſes cap.* 20.

Octavò: Supprimunt & hanc partem, *qui Cathedram Petri, ſuper quam fundata eſt Eccleſia deſerit &c.* Quam tamen ab annis pluſquam quingentis legerat Gratianus & decreto ſuo inſeruerat *diſtinctione* 93. *Canone* 3. ad quem irà adnotarunt Romani Correctores: *In Vaticana Bibliotheca, præter octo integra Cypriani Exemplaria eſt etiam aliud, in quo tantum opuſcula quædam continentur, & inter ea hic Tractatus. Atquè in eo Codice, itemq; in altero integro Monaſterii S. Salvatoris Bononiæ, ſunt verba hæc, quæ à Gratiano, & Ivone afferuntur. At ſanè paulò antè Cyprianus hanc ipſam Petri Cathedram eſſe oſtenderat, unde unitas Eccleſiæ penderet.*

Habes, Eximie Domine, ſpecimen initiale eminentis doctrinæ, & bonæ fidei Clienruli Gallicani; proſequar cæterorum Patrum, quibus abutitur, diſ-

Digitized by Google

diſcuſſionem. Interim rogo Gallum qui illius errores fecit, & magnos concentores iſtos, ut plenis buccis ululando, animosè in me ſuam muſicam proſequantur.

Eximiæ & Rev.^dæ Admodum D. T.

Humillimus Servus

NICOLAUS DU BOIS.

Lovanii 25. *Julii* 1687.

Digitized by Google